



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 2. An liceat cogere hos infideles ad audiendam fidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

SECTIO II.

Utrum liceat Ecclesie, vel Principibus Christianis cogere hos infideles ad audiendam fidem.

IN hoc puncto duz sunt opiniones contrariæ: Prior absolute, & absque distinctione affirmat, hoc esse licitum. Quod videtur sentire Maior in 2. dist. 4. quæst. 2. Quamvis expresse id non affirmat. Suadetur t. Potest autem suaderi ex dictis, quia si infideles non possent cogi ad audiendum, vel superflua, vel valde inutilis esset potestas docendi, quia si nemo audiat, inutilis est doctrina; dictum est autem, Ecclesiam habere potestatem, & ius docendi fidem; ergo consequenter habet potestatem cogendi ad audiendum. Secundo declaratur à simili vis huius rationis, nam quia Christus dixit Apostolis suis. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Optime colligit Ecclesia præcepisse fidelibus confiteri peccata sua, quia non possunt remitti, nisi audiantur, & cognoscantur: ergo similiter si dedit Ecclesie potestatem docendi infideles, consequenter dedit illi potestatem cogendi illos ad audiendum, quia doctrina sine auditu esse non potest, vel esse frustra, & inutilis. Unde fundatur tertio hæc opinio in illo principio, quod concessio vno relativo, conceditur alterum, quia vnum sine alio esse non potest, ut in materia de privilegiis in simili tractari solet, & videri possunt, quæ dixi in libro 8. delegibus cap. 11. Facit etiam aliud principium supra positum, quod concessa iurisdictione, conceduntur omnia, sine quibus commodè exerceri non potest. Tandem argumentor quartò, quia supra dictum est licitum esse cogere, ne fiat resistentia prædicationi fidei. Sed si infideles nolunt audire, eo ipso resistunt prædicationi fidei, & illam impediunt: ergo.

2. Secunda sententia sine distinctione negat, hoc esse licitum circa quoscunque infideles, siue sint subditi temporaliter Ecclesie, aut Principibus Christianis, siue non sint. Et hanc tenent Valent. 3. tomo disputatione prima, quæstione 10. punct. 6. circa finem. Eandem docere videtur Salmeron tractatu 38. Et probatur primò, quia non legimus Christum dedisse hanc potestatem Ecclesie, nequequitur ex potestate prædicandi: nam hæc dari potuit pro his qui audire vellent, & sæpè videmus aliquem habere potestatem, & obligationem, ac ius docendi, & non habere potestatem cogendi alios ad audiendum. Secundò non videtur illa coactio consentanea exemplo Christi, legimus enim Luc. 9. eum semel Samariam ingrederetur, & Samaritani nolent eum recipere, quosdam ex discipulis dixisse. *Via ut veniat ignis de celo &c.* Christum autem respondisse, *ne scitis, cuius spiritus sitis, &c.* Quasi diceret, non vi, & comminatione fuisse utendum contra Samaritanos, & idè ipse pacificè discessit, quod in aliis etiam locis observari potest, & Apostolis suis alibi dixit. *Si non receperint vos, neque audierint sermones vestros, excutite pulverem, &c.* Tertio est optima ratio, quia fides debet esse voluntaria: ergo etiam media ad fidem debent esse voluntaria: sed propter dictam causam coactio ad fidem non est licita respectu horum infidelium, ut sequenti sectione videbimus: ergo neque coactio ad auditum fidei. Probatur consequentia, quia eadem est ratio finis, & mediolorum præsertim quando medium est omninò necessarium, & solum appetendum propter finem. Quartò est præcipua ratio, quia hæc coactio aut est directa, hoc est, per metum immisum ex intentione cogendi ad talem actum, vel est indirecta, id est, per metum alio titulo impositum, ex quo talis actus speratur, etiam si non per se primò intendatur. Hic posterior modus regulatè non habet locum in prædicto casu, quia deest

materia, & occasio talis coactionis in huiusmodi infidelibus: prior verò semper est illicita coactio: ergo. Probatur minor, quia sine coactione non est iusta coactio, Ecclesia verò nullam habet iurisdictionem in infideles non subditos in subditos autem ad summum habet iurisdictionem temporalem, quæ ad spiritualia non sufficit: audire autem fidem ad spiritualia pertinet.

3. Inter has sententias tertia opinio media, quæ inter infideles subditos, & non subditos Principibus Christianis distinguit, mihi probanda videtur. Unde dico primò, licitum esse Christianis Principibus cogere infideles sibi subditos, ad fidem audiendam. Ita sentit Pezant. & Banhes 22. quæstione decima, articulo octavo, & quamvis hic posterior formidet, quia existimat, numquam hoc fuisse ab Ecclesia vitatum, nihilominus me multum movet exemplum Romanum: nam Summi Pontifices cogunt Iudæos sibi subditos, ut semel in hebdomada prædicationem fidei audiant, pena imposita his, qui audire recusant: quæ de re extat Bulla Nicolai III. quæ incipit *Vineam*: & alia Greg. XIII. quæ incipit *Sandæ mater Ecclesia*. Respondent tamen aliqui, illam non esse penam, sed esse quoddam tributum, quod illis infidelibus, tanquam subditis potest iuste imponi: remittitur autem ex benignitate Principis illi, qui prædicationem audierint, & ita illa non est coactio, saltem directa, sed vel indirecta ad summum, vel potius attractio per beneficium remittendi tributum, qui modus licitus est, ut in sequenti sectione dicemus. Sed licet hæc evasio evidenter improbari non possit; nihilominus sine fundamento excogitata videtur, quia illa quantitas pecuniæ, quæ imponitur recusantibus audire, non imponitur sub alio titulo iusti tributi: sed solum propter omissionem, seu inobedientiam, & præter illam impositionem sunt alia tributa sufficientia, quæ illis infidelibus propter subiectionem temporalem imponantur.

4. Ratione igitur declaratur assertio, quia duobus modis possunt isti subditi cogi, ad audiendum sermonem fidei, primò, quia ex præcepto divino tenentur fidem audire, ut sentit Victoria in 1. relectione dicta, numero 36. & certè non sufficit ad coactionem saltem directam, quia observantia illius præcepti, & cura illius non pertinet ad temporalem iurisdictionem, ut per se clarum est. Secundò ergo potest ibi intervenire aliquod præceptum iustum ipsius Principis, ad quod observandum potest subditos suos cogere, & hoc videtur valde probabile, quia illa actio audiendi prædicationem per se, & intrinsecè non est supernaturalis, & secundum præsentem circumstantias possunt subditi conuinci, quod sit honesta, & ad commodum illorum ordinata, imò etiam potest referri ad eam utilitatem reipublicæ, quam Princeps temporalis procurare potest, & debet, nimirum ad maiorem concordiam, & pacem omnium subditorum, vel ut infideles ipsi liberentur ab erroribus, de quibus conuinci possunt, eo quod sint contra rationem naturalem: quales Gentiles sectantur, vel quia contra alia militant quæ ipsi admittunt, & credunt, ut Iudæis contingit, ac denique potest ille actus ordinari, ut illi subditi veram religionem, verumque Dei cultum eligere possint, quod in omni humana republica bene instituta procurandum est: ergo tale mendatum ex parte Principis iustum est, & non excedit iurisdictionem eius: ergo, pena imposita, potest cogere subditos ad illud servandum.

5. Et ita non procedunt contra hanc partem argumenta secundæ sententiæ, nam procedunt solum circa non subditos. Unde ad primum fatemur, non fieri hos speciali potestate à Christo data, sed sufficere ordinariam potestatem Principis tempo-

temporalis, & ideo immerito in 2. argumento Christi exemplum, vel Apostolorum postulat, quia illi non assumpserunt principatum temporalem, neque illo vti sunt. Ad tertium vero de coactione ad fidem dato, antecedente, negatur consequentia, tum quia potest quis cogi ad audiendum, non autem ad credendum, sicut potest quis cogi, ut audiat prædicationem consiliorum Evangelicorum, vel de concessione indulgentiarum, & non propterea cogitur: vel ad sequenda consilia, vel ad lucrandas indulgentias, tum etiam quia non est necessarium, ut præceptum illud imponatur sub determinata ratione credendi fidem supernaturalē, sed sub communi ratione eligendi veram religionem, & vitandi errores, rationi etiam repugnantes. Et ita etiam ad quartam rationem responsum est. Addit tamen Banhes duas limitationes huius assertionis. Prima est, ut hæc coactio fiat tantum ad semel audiendam fidem, quia aliis si fiat frequenter, erit virtualis quædam coactio ad credendum: altera limitatio est, ut fiat sub poena moderata. Sed prior limitatio mihi non placet. Tum quia contrarium probatur ex consuetudine Romana adducta; tum etiam quia moraliter loquendo effectus inutiles coactio, quia ad fidem suscipiendam, non satis est semel audire illam præsertim hominibus assuetis suis erroribus: tum denique quia si semel est licita, & non habuit effectum, nulla ratio est, ob quam non possit iterum licere, neque inde sequitur virtualis coactio ad fidem, quia non dicimus licere Principibus solo suo arbitrio hoc onus imponere, sed cum prudentia, & moderatione, iuxta occurrentes circumstantias, ut in exemplo Romano considerare licet. Altera verò limitatio valde placet, quia de hac coactione iudicandum est, sicut de poena imposita non observanti legem aliquam civilem, cuius transgressio politicè loquendo, nec multum rempublicam perturbat, neque multum grauis æstimatur.

6. Dico secundò, nullo modo licet, infideles non subditos cogere ad fidem audiendam: hæc assertio multò certior est, quam præcedens, & ita est communiter recepta, & probatur prima, & secunda ratione secundæ sententiæ, & præsertim 4. quam ita declaro, & vergeo, quia omnis coactio siue directa, siue indirecta sit, requirit in cogente aliquam iurisdictionem seu potestatem in eum, quem cogit, quia cum omnis coactio fiat, inferendo aliquid mali; non potest esse licita, nisi per superiorem aliquam potestatem, at verò Christiani Principes nullam habent potestatem, vel iurisdictionem in hos infideles: ergo. Probatur minor, tum ex ipsis terminis, quia supponuntur non subditi, tum etiam quia Ecclesia nullam potestatem spirituales habet in hos infideles, ut nunc suppono, & dicam latius sectione sequenti, neque etiam habet iurisdictionem temporalem, quia hæc est in Principibus, & Regibus eorum, qui in suo ordine sunt supremi: ergo nullo titulo potest esse iusta talis coactio.

7. Neque contra hanc assertionem obstant argumenta prioris sententiæ: ad primum enim respondemus potestatem prædicandi præcisè sumptam non esse potestatem iurisdictionis, sed esse tantum virtutem, ut sic dicam, illuminandi per doctrinam, & ideo efficaciam eius non esse positam in virtute cogendi, sed in efficacia verbi, & in ostensione Spiritus & virtutis, ut dixit Paul. Veruntamen non sequitur hanc potestatem esse frustraneam, quia moraliter loquendo, non deerunt, qui voluntariè audiant, si sit, qui prædicet: & hinc ad secundum, quod sumebatur, ex analogia, & similitudine ad verba. Quorum remisistis peccata. Facile patet responsio. Nam potentia remittendi peccata, est potestas iurisdictionis, & omnino formaliter respicit subditum, & in hoc est longè diuersa ratio in illa potestate, & in potestate prædicandi: in hoc autem potestati seruari aliqua proportio, quod sicut cum illa potestate absoluendi, coniunctum est præceptum diuinum confitendi, ita cum potestate, & iure prædicandi fidem, datur etiam præceptum diuinum audiendi, & suscipiendi illam: est autè discrimen, quia præceptum confitendi cadit in eos, qui iam sunt membra Ecclesiæ, & omnino possunt per eandem Ecclesiam ad illud implendum compelli, aliud autè præceptum comprehendit illos etiam, qui non subsunt Ecclesiæ, & omnino non possunt per illam compelli. Ad 3. respondetur illud principium de correlatiuis, solum habere locum in his, quæ necessaria sunt ad vsum potestatis concessæ circa vnum ex correlatiuis, in præsentem autem ad vsum potestatis prædicandi, non esse necessarium, ut alij possint cogi ad audiendum, sed satis est, ut licitè possint, & debeat voluntariè audire, & idem est de altero principio. Vnde patet responsio ad quartum, nam est longè diuersa ratio, de potestate resistendi iniquè impediens prædicationem, vel de potestate cogendi ad audiendum, nam illud prius est medium moraliter necessarium, & supponit iniuriam, quam licet repellere: neutrum autem horum in posteriori inuenitur, & omnino non est similis ratio.

8. Sed hinc oritur difficultas, nam ex dictis sequitur, si contingat in aliquo regno infideli, tam Regem, quam primates Regni nolle admittere prædicatores Euangelij: neque permittere, ut intra fines suos ingrediantur, non posse Ecclesiam vti aliquo medio violento, vel coactione, ut ibi Euangelium prædicetur, quod videtur inconueniens, quia ad hoc non fuisset illi Genti sufficienter prouisum: ergo, &c. Sequela patet, quia tunc tota illa gens non vult audire Euangelium, sed non potest cogi ad audiendum, ut dictum est; ergo. Ad hoc aliqui simpliciter concedunt sequelam, quia inde non sequitur, non esse hominibus sufficienter prouisum, sed solum sequitur non esse ita efficaciter prouisum, quia homines malitia sua possunt resistere, & media salutis impedire, quod est probabile. Nihilominus existimo moraliter loquendo, tunc esse licitam aliquam coactionem, & imprimis si respublica, infidelis velit habere prædicatores, & Rex infidelis impediatur, potest respublica illi resistere, & in hoc potest iuari à Principibus Christianis, ut Rex inuitus fidei prædicatione permittat, quia in hoc iniuriam facit subditis: impediendo viam salutis illorum, & eadem ratione, si Rex consentiat, seu desideret, & non audeat propter resistentiam Primatum, seu Regni, potest per vim cogere subditos, & si vires illi defint, potest in hoc etiam iuari à Principibus Christianis propter rationem tactam. Denique si Rex, & Regnum resistant simul, arbitror cogi posse, ut permittant prædicatores Euangelij versari in terris suis, quia hoc est debitum iure gentium, & non potest sine iusta causa impediri, deinde cogi possunt, ut permittat huiusmodi prædicatores loqui Verbum Dei sine vi, aut fraude volentibus audire, quia moraliter loquendo nunquam deerunt particulares personæ, quæ voluntariè audiant, nam licet supponamus, Regem cum Regno resistere, nunquam sub nomine Regni omnes omnino particulares personæ comprehenduntur, sed Concilia, vel Primates, aut maior, vel maxima pars Regni, & omnino semper manet ius integrum Ecclesiæ ad prædicandum in illo Regno, & ad defendendum innocentes, vti sic dicam, id est, particulares personas, quæ audire verbum voluerint, & ita nulla fit ibi coactio, ad audiendam fidem, sed solum ad non impediendum prædicationem Euangelij nec eos, qui voluntariè illud audire voluerint.

Ad 1.

Ad 2.

Obiectio.

Quorundam responsio.

Vera solutio.

Quid faciendum, si Rex & Primates Regni impediunt prædicatores, ne prædicent.